

DÍAZ DE JAUREGUI, Juan

R[euerendissi]mo P.D. Calcagnino
Decano Pampilonen. Parochialis de
Alsasua pro R.D. Jo. Diaz de Jauregui
contra R.D. Martinum de Arrieta :
responsio ad Memoriale partis. — [S.l.]

Typis Leone, & Mainardi, 1735
[4] h., A4 ; Fol.

Tít. y pie de imp. tomados de
colofón. — Lugar probable de imp. Roma

1. Simonia 2. Simonia 3. Juicios 4.
Epaiketak I. Arrieta, Martín de II.

Título

VRF-106

Pampilonen. Parochialis de Alfafua.

Reu. Pater. **C**ontrarium Memoriale nil omnino noui affert quòd non fuerit deductum, & vsque ad satietatem examinarum in præteritis propositionibus huius Causæ, & signanter in vltima in cuius contrariæ Informationis compendium compilatum comperitur dictum hodiernum Memoriale; Proptereaque certo certius confidimus quod hæc *Causa Beneficialis* quæ à tot annis pendet in Iudicio, & iam per *tres vices* fuit discussa coram hoc Supremo Tribunali, quæque propterea cum hæreat in vita Litigantium celerem exposcens terminationem, expedienda tandem veniat; Tantò fortius quia cum præcesserit Sententia contraria Curia Episcopalis Pampilonen. super qua exaduerso tantus sit plausus, Causa effecta fuit *appellabilis*, sicque supersunt *dua alia Instantia* in quibus Pars aduersa satisfieri poterit vsque ad vltimum extremum cantando, & recantando eandem palinodiam, quemadmodum in præsentis peragit.

Ne ramen in hoc solum sistere videantur validissima Iura Principalis nostri, propius accedendo ad examen eorum quæ in dicto *contrario Memoriali* cumulantur aduersus solidissima fundamenta nostræ egregiæ Decisionis accuratissimè extensæ per Illustrissimum D. Ponentem, palam remanebat quod nullam penitus subsistentiam præferant; Nam modò fatendo Pars aduersa insubsistentiam primi obiecti circa maiorem numerum vocum, quem dissimulare non potest assistere in nimis excessiua quantitate fauore Principalis nostri, tota est in ostendendo quod iste inciderit in simoniacam prauitatem pro consequenda electione ad hanc Parochialem. Verum antequam super isto obiecto Crimine procedamus ad contrariarum probationum totalem eliminationem cauendum primo loco supplicamus ab illo nimis parulo æquiuoco, cum quo procedunt DD. contrarij Scribentes, quod scilicet hic agatur de prælatione inter duos Concurrentes ad Parochialem, quorum meritis pensatis dignior in ea sit præferendus. Etenim id neutiquam subsistit, quia hæc propositio posset ad summum procedere, vbi duo Concurrerent in *paritate* vocum, non autem in casu præsentis, in quo iam per Partem aduersam concordatur quod Principalis noster habeat nedum maiorem, sed excessiuum numerum suffragiorum supra ipsam Partem aduersam, in quibus terminis certum vndique est quod minimè attenda minori aut maiori qualitate Concurrentium non est facienda ista comparatio, in-

per vtrumque, vt ita altera pars habens maiora merita sit præferenda ei, quæ Aduersarium superat in quantitate suffragiorum, vt optimè considerat nostra *prima Decisio coram Illustrissimo Corio §. Constatit.*

3 Rursus aduerrendum est quod hic non impugnamus quod agatur de Beneficio assequendo, ideoque requirantur probationes *minus vehementes* ad probandam simoniam, ad differentiam casus in quo ageretur de priuatione à Beneficio iam assecuto; At non inde sequitur ex hoc, quod istæ probationes debeant reduci ad nihilum aut ad quid minimum vt præterevidetur Pars aduersa; Nam certum quidem est quod pro obtinenda priuatione à Beneficio assecuto requiratur probatio simoniæ adeo dilucida, & concludens, vt æquiualeat nitidissimæ veritati, quæ aliter consequi non posset quam per exhibitionem effectiui Contractus simoniaci, quodque rursus iste fuerit effectuarus, & executus ad hoc vt simonia efficiatur *realis* sufficiens ad priuationem, aut quod saltem concurrant argumenta æquiualentia huic nitidissimæ demonstrationi iuxta doctrinam *Felin. in cap. Super bis num. 15. de accusat. & sequacium.*

4 Ex hoc tamen non inde inferri poterit, vt dicebamus, quod probatio infirmissima, & ferè ad nihilum redacta requiratur pro repellendo aliquem à Beneficio assequendo, quia in hoc casu concedimus quidem quod moderari debeat tantus rigor requisitus, in casu priuationis, sed tamen mordicus, & fundatissimè substinemus id, quod est vndique firmum, & negare non possunt Auctoritates in contrarium allegatæ, quod scilicet ista probatio debeat esse læuior, & minus vehemens, vt probat nostra *secunda Decisio §. Numerosiori*, adeoque sufficiant adminicula, & coniecturæ, & præter ibidem cumulatōs, id optimè confirmant Auctoritates ipsæ adductæ in *contrario Memoriali §. 5.*, & signanter *Rot. coram Bicb. decis. 653. num. 13. ibi = Ad hunc enim effectum non requiritur plena probatio Simonie, sed sufficiunt coniecturæ = & decisio 172. par. 12. recent. num. 1. & coram Molin. decis. 81. num. 5.*, quarum verbis referuntur in *dicto contrario Memoriali.*

5 Cui autem later, quod ubi res reducatur ad probationem per Coniecturas, istæ esse debeant in suo genere perfectæ, & concludentes? Hoc enim est illud, quod vnicè dicit *nostra secunda Decisio §. Ipse*; Quod magis, magisque sibi locum vindicare debet in hac materia sapiente *exosum Crimen simoniae*, in quo semper capienda est interpretatio exclusiua delicti, vt addit dicta *nostra Decisio §. Allegato*; At verò versamur in terminis in quibus Pars aduersa nec quidem à longè attingit huic gradum probandi etiam per læuiores probationes labem

simo-

simoniacam; Tota enim contraria probatio reducitur ad fallacissimum dictum Testium, quorum contradictiones notabilissimas, & substantialissimas latè demonstrauimus in nostra præterita Informatione §. 29. cum duob. seqq., & in responsione §. 12. ac per tot., quorum duo, aut tres licet perperam in contrarium supponatur quod insimul concordari possint iuxta verba transcripta in contrario Memoriali §. 12. cum duob. seqq.

6 Attamen semper certum, firmumque erit quod istorum vis infirma, ac nullius penitus roboris efficiatur ab illis alijs Testibus à Parte aduersa inductis, & ad illius fauorem examinatis, qui excludunt omne pactum simoniacum, dum aiunt quod non solum nulla Conuentio aderat aut adesse poterat super effectiua traditione Beneficij promissi filio Didaci de Arza, sed in super ipsam oblationem illud consequendi penitus excludunt, quia solum dicunt ex ore dicti Martini de Arza constanter audiuisse eundem spem habere quod = *Aiutasse, assistesse* = seu melius, ibi = *Poteua assere che questo aiutasse =, che sperauano che assisteria* = Didacum suum filium, vt ex verbis transcriptis in dicta nostra præterita Informatione §. 30. Isti ergo Testes contrarij qui contra Partem aduersam plenissimè probant certissime destrouunt alios eiusdem Partis dicentes quod præcesserat aut Conuentio, aut Oblatio, etsi isti alij forent duo, aut tres insimul concordantes, vt egregiè firmat nostra secunda Decisio §. Destruitur.

7 Verum vltro progredientes addimus quod neque isti duo, aut tres Testes contrarij quorum verba transcribuntur in contrario Memoriali aliquid ad hunc effectum concludere possent ex Tribus validissimis Responsionibus; Et primò quia etiam isti inter se contrarij palam conuincuntur; Nam primus eorum transcriptus in dicto Memoriali §. 12. fatendo, quod certissimè nulla præcesserat effectiua Conuentio inter Principalem, & Martinum de Arza, dicit simpliciter, quod in verbis inter eos prolatis hoc aderat ibi = *Rispetto che questo gl'auua OFFERTO il Benefizio che gode, e possiede nella Chiesa Parochiale di questo luogo per Diego d'Arza suo Figlio; E ciò udito il Testimonio gli rispose che non si fidasse DELLA PAROLA ma la facesse ridurre à scrittura, PERCHE ALTRIMENTI SI TROVARIA INGANNATO &c.*, & d. Arza le replicò, che se tal cosa accadèsse non sapria quello, che fare, & il Testimonio immediatamente parti = Alter Testis transcriptus in dicto contrario Memoriali dicit vnicè = *Mentre la Parte Auuersa gl'auua offerro di dare il Beneficio à suo figlio* = Et tertius Testis in eodem contrario Memoriali §. 14. ait ibi = *Mentre questo ALTERIA Diego d'Arza*

ſuo figlio = Et deinde magis dubitativè addit *diff. CHE S'AGGIUSTERIANO, O' SIERANO GIA AGGIUSTATI*, Et alius in *cod. contr. Memor. §. 16.* = *Diff. che la Parte auverſa PROTEGGERIA ſuo figlio*. Patet ergo ex hiſce omnibus verbis quod etiam omnes iſti Teſtes exaduerſo magnificatis inuoluantur, cum maniſteſtiffimis contradictionibus nam vnus dicit = *Aueua Offerto* = Alter, *che aiuteria* = Alter dubitativè = *Che ſ'aggiuſteriano, ò che ſ'erano aggiuſtati* = Et alter = *Che proteggeria*.

8 Secunda reſponſio oritur ab eo quod totum hoc proceſſiſſe vnice exaduerſo colligitur *ab ore Martini de Arza*, ideoque neutro in hunc modum remanent iſti Teſtes *de ſolo auditu*; Ita etiam ad ſummum concludere poſſent contra eundem Martinum, non autem contra Principalem noſtrum qui nunquam docetur, aut doceri poterit vllum conſenſum præſtitiffe huiusmodi ſuppoſitæ pactioni, vt optimè comprobant *noſtræ Deciſiones prima nimirum §. Conſequitur, & ſecunda §. Non ſolum*.

9 Et tertia tandem validiſſima omniumque concludentior reſponſio promanar ab eo quod ſuppoſita certiffima *incapacitate Filij Martini de Arza ad conſequendum Beneficium Eccleſiaſticum*, ex quo erat *puer Litteratus*, & non Clericus, ſuper quo cauendum eſt à Teſtibus indicatis *in contrario Memoriali §. 27.*, quia ſunt *extraiudiciales*, & expiſcati *pendente lite*, quâdo oppoſitum præ parte noſtra probatum fuit cum iſtis Teſtibus in contrarium examinatis. vt hanc veritatem demonſtrauimus *in Reſponſione vltimæ propoſitionis Cauſa §. 6.*; Et ſuppoſita ruriſus altera incapacitate noſtri Principalis in conferendo hoc Beneficium quod Ius non ſpectat niſi quam Ordinario, & S. Sedi, vt plenè contrarijs luriſibus confutatis offendit *noſtra Deciſio §. Satisfacere*; Palam proindè remanet in hiſ terminis, quod optimè concilietur abſque labe ſimoniaca, *illa oblatio, auxilium, ſpes*, aut aliud ſimile, quod deponitur à contrarijs Teſtibus ſuper conſecutione Beneficij fauore filij Martini de Arza, quod nimirum omnia hæc promitti potuerint à noſtro Principali propter *gratitudinem, ſed obligationem antidotalem* erga d. Martinum, qui ſe obtulit ſuas vires impendere pro obtinenda maiori parte vocalium, in cuius remunerationem promiſerit idem Principalis ſe totum facturum, quod pro parte ſua fieri potuerat, ad hoc vt illius filius poſt eſſecutionem dictæ Parochialis obrineret ſuis commendationibus, & protectionibus Beneficium tunc ab eo poſſeſſum, quod nequaquam eſt ſubiectum Simoniacæ prauitati, iuxta communem ſententiam quam exornat *noſtra ſecunda Deciſio §. Quinimò*.

10 Cauendum verò eſt à verbis noſtrorum Teſtium transcriptis in

contrario Memoriali §. 17. quia ea sunt mutilata, & propterea si recognoscatur Summarium in fronte, nec non præterita nostra *Responsio §. 10.*, vbi hoc æquiuocum clarè submotum fuit facielter referendo contextum verborum dd. nostrorum *Testium*, melius omnium contra Partem Aduersam isti retorqueri conporietur.

11 Omnium vero magis infirmum est vltimum Partis Aduersæ refugium constitutum in *diffamatione* huius Criminis super quò cum latè egesit nostra *secunda decisio à §. Profligata usque in fin.*, ostendendo omnimodam insubstantialitatem huius oppositæ diffamationis, ideo solum duo hæc annexere necessarium duximus ad subiuuendatortidem Partis æquiuocæ, & erroneæ oppositæ in suo *Memoriali §. 21. cum tribus seqq.*; In primis enim cauendum est ab illis Testibus, qui confusè cum alijs in *d'Ello contrario Memoriali*, citantur ad probandam istam diffamationem, quando fere omnes si recognoscantur in fronte sunt *extrajudiciales*, & expiscati pendente hac lite, vt latè demonstrauimus in nostra præterita *Responsione §. 3. & seqq.*, & quibus etiam respondit nostra *secunda Decisio §. Non solum*, & alibi.

12 Secundo loco est pariter cauendum ab eo quod Pars Aduersæ in *dicto contrario Memoriali* insinuari prætenditur quod scilicet Vicarius Generalis Pamphilonen. dum in sententia primæ Instantiæ quam protulit contra Principalem nostram dixit *visis actis, ac meritis Processus &c.* arguit ex hoc quod processerit Inquisitio, & Processus Criminalis contra Principalem super hoc obiecto crimine Simonix; Sed perperam, quia verba illa huius sententiæ indicant solum *acta, & Processum Ciuilē*, qui distinctè semper efformari solet in quacumque Causa ni Regnis Hispaniarum; vnde nescimus in his terminis quid operari possit hæc Sententia non Episcopi sed solum Vicarij Generalis Pamphilonen., quæ est illa quæ modo reuideretur, quando vnice innixa comperitur *meritis Cause, & Processu* in ea efformato, à quibus Iudices decipi posse est vadique vlgatum, vt egregiè ponderat nostra *secunda Decisio §. Relectis*.


13 Ac postremo totum id quod ex aduerso additur super ortu istius diffamationis ob Testes hinc iadè examinatos in Iudicio, ob verificationem vocorum pariter iudicialiter factam, & ob alia facta similiter per introductionem huius litis efformata, poruerat libenter prætermitti, quia supposito etiam, & admissio quod hæc diffamatio orta fuerit *post hanc litis introductionem*, & post *dictos actus iudiciales, vt supra efformatos*, vt etiam indiuiduant ipsi met contrarij Testes cuius verba retulimus in nostra *informatione distributa in die propositionis §. 23.*

Non

Non indè tamen sequitur quò hæc diffamatio sic orta *post liti-
introductionem* vilo modo obstarè possit ad aliquem repellend-
dum à Beneficio Ecclesiastico, quia diffamatio ad hunc effe-
ctū necessaria probati omnino debuisset quod *orta fuerit ante
litem*, vt est propositio satis nota, quam comprobat *nostra sc-
cunda Decisio S. His* verò.

Quare &c.

**Vitus Angelus Caualletti,
Ioseph de Bomplanis.**



Rño P. D.
CALCAGNINO
DECANO

Pampilonen. Parochialis
de Alsasua.

P R O
R. D. Jo: Diaz de Jauregui.

C O N T R A
R. D. Martinum de Arrieta.

MEMORIALE
Responsio ad Memoriale Paris.
MEMORIALE
Typis Leone, & Mainardi 1735.